

1509 meabant, ac demisso ponte, & carris in transmissu commo-
 rantibus, legati pedites levissimi adveniunt, portamque ca-
 piunt, pauloque post legatus cum reliquo agmine in oppi-
 dum irrupit: profectusque ad interiorem oppidi portam,
 qua murus item alter postremo longe altior atque solidior una
 cum altero Medoaci alveo tanquam circino circumductus ur-
 bem reliquam tuebatur: ea refracta ad forum omnes ma-
 gno cum clamore ac tubarum sono recta contendunt. qui-
 bus obviam progressa gens Parmensis (id erat fratrum illo-
 rum ac centurionis familiæ nomen, quæ se ad hoc ea nocte
 comparaverat) armata cum legato læta atque hilaris se con-
 junxit. Eo tumultu excitus Brunorus Saregius Veronen-
 sis, clara gente natus, qui stipendia Maximiliani faciebat,
 eoque biduo Patavium venerat, cum turma equitum ducen-
 torum Venetos, qui forum jam omnesque vias atque aditus
 obsederant, repellere aggressus, amissis per plurimis ex suis,
 ab iis capitur. Germani quoque milites ad prætorium qui
 erant, cum præfectis regiis eodem accurrerunt, sed com-
 misso prælio repulsi, se in arcem oppidi fugientes intule-
 runt. Oppidani magna pars se legato, qui eorum prætor
 summa cum laude paulo antea fuerat, gratulantes dedide-
 runt. ita parvo temporis spatio Patavium recipitur eo ipso
 die, quo primo captum fuerat, anni ab urbe condita non-
 gentesimi octogesimi secundi, cum binos & quadragenos
 dies in Maximiliani partibus fuisset. Miserant ea nocte de-
 cemviri magnam armatorum hominum manum cum ex ple-
 be urbana, & navalibus; quorum omnes prope operas edu-
 xerunt una cum eorum præfecto Nicolao Pascalico, qui
 eas regeret, tum ex suburbanis municipiis, Torcellio, Ma-
 jorbio, Buriano, Muriano evocatam suis cum naviculis,
 ut Medoaco flumine superato, Patavium legato auxilium
 ferentes mane accederent. ii celeritate adhibita, turri et-
 iam, quæ in Strata pago flumini adjacet, expugnata: is
 abest pagus a Patavio millia passuum quinque: a qua remul-
 co subvehi, Germanis militibus, qui in ea erant, lapides
 & tela conjicientibus, non permittebantur, progressi, in
 oppidumque recepti, una cum legati militibus Judæorum
 scæne-